Ob. 11

SPRAWOZDANIA SZKOLNE
Książnica Kopernikańska w Toruniu
SCHULPROGRAMME

AD

# EXAMINIS PUBLICI SOLLEMNIA

IN

GYMNASIO REGIO VARMIENSI

BRUNSBERGAE

DIEBUS XII. ET XIII. M. AUGUSTI A. MDCCCXXXVI

CELEBRANDA

*HUMANISSIME INVITAT*

**DR. GIDEON GERLACH,**
DIRECTOR ET PROFESSOR.

BRUNSBERGAE,
TYPIS MUTTRAYANIS.
MDCCCXXXVI.
1836

KSIĄŻNICA MIEJSKA
IM. KOPERNIKA
W TORUNIU

Stadtbibliothek
Thorn

AB 1471

# De origine et natura terminationis nominum in men et mentum exeuntium.

Non si non potuero indagare, eo ero tardior, sed velocior ideo si quivero. Varro.

Recepto in me negotio, ut scriberem aliquid, quo rite indicerentur solemnia, quibus propitio Deo feliciter denuo transactum annum more et instituto celebrare consueverunt ludi litterarii, e re mea esse putavi alteram in medium proferre particulam disquisitionum mearum, quibus ratio et natura eorum accuratius examinatur nominum, quae syllabis finiuntur men et mentum. Quorum quum numerus tam late pateat, ut omnibus ad examen vocatis, modum, qui constitutus est hujuscemodi scriptis satis angustus, excedere cogeremur, ea tantum hic proponam nomina a verbis tertiae classis derivata, quae saepius mutatis, demptis, corruptis primitivorum litteris stirpis obscurarunt speciem. Ut vero nuper cepi exordium docens quantum hujusmodi rerum quaestiones vel ad exercenda puerorum et juvenum, qui litteris navant operam, ingenia conferant utilitatis, ita nunc quibus legentium mihi conciliem animos et repetitos excusem tam vilium rerum conatus, prooemii loco ingenue profitebor:

Non recentioribus demum temporibus, sed remotissima jam antiquitate summa hominum ingenia haud raro occupata fuisse in disquirenda atque invenienda via, quam ingressa lingua humana a satis exigua profecta origine eo succreverit amplitudinis, ut valida subnixa stirpe in tantum ramorum diffuderit ambitum, unde haud facile ad primas descendere liceat radices, quibus natae, altae et fultae singulae partes tantum firmitatis et roboris consecutae sint. Neque est quod miremur rem tanto studio atque ardore esse tractatam. Quid enim majus atque praeclarius divino quodam munere generi humano datum est, quam sermonis et verborum commercium? Hoc uno enim longe praestat reliquis animalibus, quibus tamen haud minore cura providentia divina consultum esse videtur. Qui enim aliter animo conceptas cogitationes aliis communicare et mentis arcana recludere possemus? Res ipsa igitur satis digna est, in qua cognoscenda et exploranda accuratiorem quis ponat curam viresque suas periclitetur. Nec defuerunt unquam, qui ingenii acumine instructi obscuram rem scriptis illustrare eique lumen affundere sunt conati. Quod ut fieret haud raro ad singula descendendum erat verba et ne horum quidem vis et sensus plane intelligi potuit, nisi ante mixtarum partium facta disjunctione. Ita demum vel minimis verborum particulis perspectis atque cognitis contendere quis possit, se veram verborum naturam et indolem habere percep-

tam. Quam saepe vero judicia virorum alias satis acuta a veritate aberraverint optime testantur conatus antiquissimorum grammaticorum. Neque non recentiores, qui huic rei operam dederunt se in errores abduci passi sunt, quod aut singulis inhaerentes verbis idem de omnibus horum similibus judicium ferebant, aut litterarum similitudine decepti prorsus contraria sibique repugnantia inter se conjungere conabantur. Ut igitur similis naufragii vitem pericula omnem nominum substantivorum in men et mentum desinentium conspectum hic proferam et, parte quadam accuratius explorata, totius ordinis naturam perspicuam reddere conabor.

§. 2.

Omnia fere nomina, quae in men et mentum exeunt in eo progenita sunt solo, quod laetae segetis feracissimum tantam profudit fructuum copiam, ut optimo jure contendere possis longe maximam nominum partem ab iis profectam esse vocabulis, quae proprie dicuntur verba. Neque in plerisque est quod haesites, quum horum pars primaria tam aperte in verborum prostet stirpe, ut vel primo oculorum obtutu facile cognoscantur. Contra alia tam multis mutata et corrupta sunt modis, ut vix unam alteramve deprehendas litteram, qua duce et fautrice pervenire possis ad vera originis principia. Id quod saepius accidit nominibus in men et mentum desinentibus, qua re factum est, ut qui eorum *ἔτυμον* investigandum susceperint, caligine occoecatis oculis falsa pro veris amplecterentur. Detecta vero altera horum vocabulorum parte non minor residebit scrupulus, undenam illud men et mentum desumtum et simplicibus verborum elementis inditum, ita in unum coaluerit corpus, ut quod inde formaretur ejusdem stirpis nomen verbi notionem in substantivi formam mutatam retineret. Accuratius enim considerata re, vix quisquam existimaverit, has similesque vocabulorum terminationes tamquam inanes luxuriantis stirpis surculos succrevisse, [1]) sed potius cum antea sui nominis et juris omnibus numeris absoluta prostarent vocabula, primum quidem, retenta propria significatione, ad componendas novas voces esse adhibita, quum vero hunc in usum perapta esse viderentur, deposita peculiari notione, novo vocabulorum ordini formando inservisse.

§. 3.

Hac proposita opinione facile quis videt me non plane Wülneri accessisse arbitrio, qui in auxilium abhibita lingua sanscritana et instituta comparatione, e similitudine litterarum atqne sonus repetita, omnem terminationum numerum aut ad pronomina aut ad adverbia locum designantia retulit. Nec cum Dünzero [2]) facere possum, qui licet saepius et Wülnerum et alios acerbius vituperarit rem tamen non in planiorem reduxit locum Ego quidem nomina illa, quae in men et mentum exeunt syllabas, vera esse composita contenderim, non eo quidem sensu, quo A. Gellius Servium Sulpicium contendisse scribit, verbum duplex esse testamentum. Gellii VI, 12 haec sunt verba: „Servius Sulpicius jureconsultus, vir aetatis suae doctissimus, in libro de sacris detestandis secundo, qua ratione adductus, *testamentum* verbum esse duplex scrip-

---

[1]) Franz Wülner über Urſprung und Urbedeutung der ſprachlichen Formen p. 272.

[2]) Die Lehre von der lateiniſchen Wortbildung und Kompoſition von H. Dünzer.

serit, non reperio. Nam compositum esse dixit a mentis contestatione. Quid igitur *calceamentum*, quid *paludamentum*, quid *pavimentum*, quid *vestimentum*. Quid alia mille per hujuscemodi formam producta; etiamne ista omnia composita dicemus? Obrepsisse autem videtur Servio, vel si quis alius est, qui id prior dixit, falsa quidem, sed non abhorrens neque inconcinna quasi mentis quaedam in hoc vocabulo significatio." Quod quum ferret judicium Gellius profecto ejusmodi mente conceperat verba, qualia sunt *documentum*, *monumentum*, quibus sane mentis quaedam significatio inhaerere videtur. Neque tamen hac re probari potest quovis nomine falsam esse illam opinionem, siquidem reputamus in conformandis compositis verbis saepius alteram compositionis partem ita omnem, quae huic insidet, significationem abjecisse, ut in favorem reliquae partis omni cesserit jure. Quum vero tota abierit in formationis particulam, immixtaque alteri parti, una alterave littera abjecta aut mutata, vel externae formae fecerit jacturam, receptoque incremento, quo melius novo verborum ordini se accommodaret, aliam plane speciem induerit, quid mirum, quod ita mutatum nemo facile agnoscat? Ut vero s finale vocabulum mens rejecit, quod in favorem primi casus aliunde receperat, quum solum adstaret, ita jam proprium sibi non respuit t, quoties novo inditum verborum generi recenti amplificatur incremento. Hoc vero contendisse velim: litteram t quae adest in vocabulis *documentum*, *monumentum*, horumque similibus non hospitaliter invitatam harum vocum inservire formationi, sed quum fugerit in voce mens infestum sibi t, cujus nullo loco fert ante se vicinitatem, remoto adversario, optimo jure amissum propere vindicasse locum. Quae vero jam restat syllaba um, hanc declinationi horum nominum inservire, neque quidquam cum voce mente habere commune vel oculis capto satis perspicuum esse puto. Membratim igitur divisis his vocabulis, singulas partes, nullis alienis admixtis elementis, ita disjunctas esse videmus, ut hanc nobis exhibeant externae speciei formam; *docu-men*, *docu-ment-um*, *mo-men*, *mo-ment-um* etc. His vero accurate consideratis beneque perpensis, quis non videt vanos esse, qui similia conantur, qualia ausus Otto [3]) omnem perdidit operam. Quis enim vel jurato crediderit ejusmodi comperto conatu: *monumentum* das Denkmahl, wo monu von monere Stammwort iſt und mentum Endung, entſtanden aus dem griechiſchen Worte *μένω* ich bleibe; alſo zunächſt eine bleibende Erinnerung, eine dauernde Erinnerung an eine Sache." Hac inita via profecto difficillima quaeque perfacili transigi possunt labore.

## §. 4.

Jacto igitur rei nostrae satis stabili fundamento nihil impedit, quominus jam rationem ipsam exponamus, quam in formandis his verbalibus per omnem hoc genus nominum copiam servatam esse reperimus. Daumius quidem, quum Vossii secutus judicium, [4]) disputationis exordio a vocabulo „*Ramento*" repetito, contendisset, recte a supino deduci posse *ramentum*, et ex una supinorum forma totum illum conflari nominum verbalium ordinem terminatione tu, su, ctu etc. in men et mentum mutato, Reinesio rem persuadere non potuit. Nimirum scripsit Reinesius XIII epist. decretum il-

---

[3]) Grammatik der lat. Sprache, für die untern Klaſſen der Gymn. p. 139.

[4]) Epist. XII. Daumii ad Rein.

lud Daumii grammaticale de mutatione terminationis in men et mentum a se non probari. Sua vero opinione, in iis quidem, quae a vel i longum habeant ante men promiscuum esse formari sive a praesente infinitivi, sive a supino; ea vero, quae vocalem brevem habeant, nonnisi a praesentis temporibus derivari posse. Esse praeterea aliqua hujus formae, quae a nominibus veniant. His Reinesii verbis ad rem accuratius considerandam provocatus Daumius singularem quandam composuit epistolam, qua rationem derivationis vocum in men et mentum ex sua et Zechendorfii mente peculiariter reddidit cf. epist. XIV. Quantopere in plerisque a vero aberraverit, hujus rei non plane rudis, inspecta epistola, primo deprehendet adspectu. Neque mirum et Daumium et Reinesium externa vocabulorum specie deceptos in errores esse deductos. Non enim una optimorum latinae linguae auctorum verba amplexi, quid inde confici posset, secum reputabant, sed omni hoc genus verborum corrasa copia, neque minus iis, quae a viris doctis sui temporis vitiose formata aderant, ad examen vocatis, magnam rei perturbationem moverunt. Neque non vocum statuerunt ἔτυμα, quorum nulla unquam viderat lingua latina, *carmen* a carere derivantes: Verisimile est hoc quidem contendisse auctoritate Isidori inductos. [5]) Res vero prorsus simplex est, neque abhorret a ratione, qua in universum composita formantur vocabula. Aut enim altera compositionis pars, omni aliena admixtione libera, interpositis vocalibus i, e, u, quae utriusque partis copulationi inserviunt, alteram recipit, intercedente comitis conciliatore v. g. salutifer, ruricola, montivagus, veneficus, maledicere, Trojugena; aut omni repudiato intercessore familiariter lateri admittit comitem v. g. grandaevus, nomenclator, flexanimus. Eodem prorsus modo haec quoque formantur nomina verbalia, neque ulla verborum forma respicienda, sive supinum, sive infinitivus, sive tempus quoddam est, sed summa rei in eo vertitur, ut cujusvis verbi elementa investigemus, quibus repertis injungamus alteram compositionis partem, quod quidem in iis, quae tertiae adnumerantur classi multum affert difficultatis. Plerumque enim aut mutata vocali, aut in declinationis favorem una alterave recepta consonante vocis radices ita sunt mutatae, ut haud raro omnibus verbi pererratis formis dubius haereas, quam tandem primariam esse contendas. Ut vero nominum in casibus obliquis facillime deprehendantur radices, ita verborum, quae primitiva sunt, perfecta atque supina prae caeteris formis simplicem produnt vocum naturam. Inde imprimis factum est, ut Daumius omnem vocabulorum copiam, terminatione men et mentum insignem a supinis derivandam esse contenderet. Monitus vero a Reinesio, qui probare studuit, in iis quae a vel i longum habent ante men promiscuum esse sive a praesente infinitivi sive a supino derives, quoties in ejusmodi incidit verba, in quibus utrumque locum habere non potuit, prout ei libuit et ex arbitrio suo nova confinxit verba prorsus inaudita, quale illud fuit carere. Quod vero vocales attinet, quae aut alteram aut tertiam ab extrema syllaba occupant locum rem ita comparatam esse videmus. Omnia quae vocalem verborum supini penultimam servant hanc producunt v. g. *condmen*, *imítamen*, *firmámentum*, *implémentum*, *nómen*, *flúmen*, *detrímentum*, *númen*, *blandímentum*, *molímen*, *sepímen*.

---

[5]) Isid. Orig. I. cap. 38, 10. Carmen vocatur quicquid pede continetur: cui datum nomen existimant, seu quod carptim pronuntiaretur, unde hodie lanam, quam purgantes discerpunt, carminare dicimus: seu quod qui illa canerent carere mente existimabantur.

Contra quae in compositione vocalem i vel u recipiunt, quod quidem sola secundae et tertiae conjugationis perpauca faciunt verba, eam corripiunt v. g. *docùmen*, *monùmentum*, *colùmen*, *tegùmentum*. Quae vero ex nominum stirpe progenita sunt in men et mentum desinentia, pleraque jam senescentis latinitatis, neque auctorum optimae notae figmenta sunt. Formata sunt aut ad similitudinem eorum quae a melioris notae auctoribus a verbis primae conjugationis procusa sunt, intercedente producta vocali a v. g. *albamen*, *ebriamen*, *linteamen*, *lutamentum*, *nidamentum*, *loculamentum*; aut retenta vocali i, qui compositioni nominum inservit, formarunt, *equimentum*, *linimentum*, *rudimentum*, *sicilimentum*.

§. 5.

Duplicem vero qui vocabulorum in men et mentum desinentium considerat formam, saepius uni eidemque vocabulo additam, vel invitus ad investigandam hujus rei causam adducitur. In Sext. Pompeji Festi de verb. significatione fragmentis corp. gram. Lat. Lindem. II. p. 131 legitur: „*Regimen* pro *regimento* usurpant poëtae. Ennius lib. XVI. Primus senex bradyn (in) *regimen* bellique peritus.“ Hujusmodi indicio facile quis induci possit, ut credat alteram vocabuli formam prosae orationis scriptoribus esse peculiarem. Exemplis vero prorsus contraria probari videtur res. *Regimen* totius magistratus penes Appium erat Liv. III. 33, 7. *Regimen* summae rei penes Germanicum Tacit. Annal. I, 31. Hunc (solem) principale naturae *regimen* ac numen credere decet C. Plin. Nat. Hist. II, 5 (7) Collata tamen omni hoc genus vocabulorum copia jam negari nequit alteram in men formam poetis fuisse magis adamatam et a scriptoribus jam senescentis linguae promiscue in usum adhibitum. Qui vero quandam significationis varietatem utriusque suspicatur formae frustra impendet laborem hujus rei investigationi, neque plus conficiet illo, qui probare conetur, aliud esse vocabulum *unguen*, aliud et ab hoc diversum *unguentum*, quum tamen nulla alia re, nisi pleniore inter se diversa sint forma. Neque est quod duplicem harum vocum miremur formam, quum tempore succrescentis et juventae vigore luxuriantis linguae vel tertium ejusdem stirpis surculum pullulasse reperiamus, qui vero nullis firmatus viribus brevi extinctus est et vix ullum sui reliquit vestigium. Dico vero Livii Andr. *Armentas* Bothe I, p. 16. et quem Ennii refert Nonnius versum: ipsius ad *armentas* easdem Bothe II, p. 7. Nisi *obferumentas* habebis plures Plaut. Rud. III, 4, 48. Hinc hodie *ramenta* fies fortunatior Plaut. Rud. IV, 3, 77. *Ramenta* fiat plumea propensior Plaut. Bacch. III, 4, 15. cf. Daumii ad Reinesium epist. XX. p. 61. His adde Lucilii apud Non. 3, 98 *fulmentas* et Plaut. Trin. 3, 2, 94 *fulmentas* jubeam suppingi soccis. Quarum quidem vocum postremam reperimus apud Cat. RR. 14, *fulmentae* sunt quaelibet *fulcimenta* in aedibus. Quam parum vero in usum receptae sint hujus formae voces optimo argumento est, quod vel paucae illae suo loco deturbatae sunt usitatiore in mentum exeuntium genere, ita ut in usu modo retinerentur *armentum*, *ramentum*, *fulmentum*.

§. 6.

Veras propriasque horum vocabulorum significationes scrutantes omnium prorsus eandem reperimus esse conditionem atque naturam. Ejusmodi enim hoc vocabulorum genere continentur nomina, quae aut mentis humanae agitatione, aut corporis nos-

tri contentione, aut ullius materiae in rerum natura positae actione, intercedente quorundam verborum notione conficiuntur, et in quendam corporis complexum rediguntur v. g. *hortamentum*, *documentum*, *monumentum*, *caementum*, *coagmentum*, *molimentum*, *flumen*, *lumen*. Omnem vero hoc genus vocabulorum numerum duplici quodam significationis discrimine diremptum, licet interdum uno eodemque vocabulo utraque contineatur significatio. Aut ea ipsorum est natura, ut nullam prorsus in aliam rem exhibere possint vim, planeque otiosa, aliena procreata opera, tarda adjacent corpora, ut *caementa*, *coagmenta*, *pigmentum*, *figmentum;* aut ut retineant quandam valoris exhibendi facultatem ejus notionis, qua instructa sunt verba, quorum ex radicibus novae progenitae sunt propagines, v. g. *laetamen*, quod laetas facit segetes; *solamen*, „sed mentibus unum Hac *solamen* erat“ Lucan Phars. VII, 181; *documentum*, caedis documenta futurae“ Sil. Ital. Pun. V, 68; aut utraque significatio eodem continetur vocabulo; ut *regimen* summae rei penes Appium erat Liv. III, 33, 7 et „frangitur et *regimen*“ Ovid. Met. XI, 552, cujus tamquam animi imperio ante parebat navis; „vos *monumentis* commonefaciam bubulis“ Plaut. Stich. I, 2, 6; templorum ac *monumentorum* aditus exornavit carminibus Cic. Arch. 11.

## §. 7.

In recensendis singulis vocabulis eadem includam paragrapho, quae a verbis tertiae conjugationis, additis perpaucis secundae classis, derivata, eandem formationis sequuntur rationem.

*Acumen* ab *acuere* profectum, supini productum servavit u; ejusdem stirpis *cacumen*, recepta in fronte littera c, auctaque vocabuli amplitudine, earum rerum extremas designandas in se recepit partes, quarum praecipue respiciuntur capita, alteri remittens minores res, quarum magis describenda est acies ad secandum idonea. Ne vero quis dubitet de recepta littera c, secum reputet eandem verborum cognationem intercddere inter *arcere* et inde formatum *carcer*, inter graecum ἕτερος et latinum *caeteri*, *aper* et *caper* cf. Doerderlein Syn. et Etym. I, 183.

*Numen* a *nuere*, cujus verbi modo restant composita *abnuo*, *adnuo*, *innuo*, *renuo*. Varro de l. l. VII, p. 363 „*Numen* esse dicunt imperium dictum ab *nutu*; omnia sunt ejus, cujus imperium maximum esse videatur.“ Non aptius inveniri potuit vocabulum, quo summum deorum imperium notaretur, et in illorum nomen ipsum abiret. Quod hoc genus ejusdem stirpis vocabulum exstat *nutamen*, haud scio an nullum habeat auctorem praeter Sil. Ital. Pun. II, 399 „Albentes niveae tremulo *nutamine* pennae.“ Ne vero hujus radicis aliam quandam propaginem intactam pratermittam, vocabulum *nutrix* eo magis inde originem traxisse contendam, quod nec quemquam hoc affirmasse invenio et Schellerum in lexic. opinatum lego, tamquam concisum sit ex *nutritrix*. Res prorsus incredibilis, quippe quae sui nihil habeat simile. Ab nuendo vero *nutricibus* inditum nomen satis indicat ratio, qua sola confabulari solent infantibus, quoad his nondum suppetit sermonis commercium. Neque mirum videri debet, intercidisse masculinam formam *nutor*, quum res ipsa longe abhorreat a virorum cura et *altrix* satis trita vocis forma saepius occurrat, quam *altor*. Affirmari igitur licet communem utrique voci fontem esse verbum *nuere*, unde et *nutrix* et *nutrire* profluxerit.

*Rumen* et *rumentum* unde progenitum sit, haud facile quis decernat. Qui a *rumpere*, *rupi*, *ruptum* derivet, alterum habebit hujus quidem satis simile *sarmentum* a *sarpere*, neque vocabuli repugnabit significatio, quam huic inesse affirmat Festus cf. Paul. Diac. Excerpt. p. 135, et quae interpretes addiderunt p. 636. Qui vero a *ruere* onomatopoeiam *rumen* formatum contendet, probabile verisimilitudinis argumentum exhibebit, auribus recipiens proprium animatium sonum, quem in *ruminando* i. e. in revocando devorato cibo edunt, remandendo cum confectura. Caeterum et *rumen* inter agrestes tantam homines usitata vox fuisse videtur, et *rumentum* nonnisi in auguralibus rebus receptum. Plin. nat. hist. XV, 20. „Inventa est lupa infantibus praebens *rumen* (ita vocabant mammam). Inde ficus ruminalis.

*Statumen* a statuo, semel tantum a Caesare B. C. I, 54. Carinae primum ac *statumina* ex levi materia fiebant“ adhibitum, satis movet suspicionis, in operariorum modo officinis usitatius factum esse, quae rei causa'est, ut Columellae, Vitruvio, Plinio nat. hist. nota vox, a scriptoribus melioris notae intacta jacuerit.

*Sternumentum* a *sternuo* Plinio prae caeteris adamata vox in hist. nat. Gellium et Celsum nacta est cultores; splendidiore nomine insigne cognatum *stuernutamentum*, quod Cicero nobilitavit. Caeterum in Plinii h. n. tam saepe utraque variis edd. confusa est vox, ut nescias utri des priorem locum.

*Volumen* a *volvere*, *volutum*, quamvis designat rem in orbem contortam, quae significatio longe vulgatior est ea, qua interdum et verbi actio designatur Ovid. Met. II, 71 „Sideraque alta trahit, celerique *volumine* torquet. *Involumen* vero quod exhibet Philox. Lexic. et quam Augustinus C. D. IV, 8 narrat, „*involumentis* follicolorum deam Volutinam,“ utrumque vocabulum parum probabili commendatur auctoritate.

His addendum esse *adjumentum* censeo, licet plures habeam, qui mihi adversentur, quam qui mecum consentiant. Wülner docet *jumentum* dictum pro *jugmentum* p. 300 et Doederlein II. p. 54 ad similitudinem vocabulorum *subtemen*, *examen* et *aerumna*, formatum esse, littera elisa g. Comparatis vero inter se verbis *volvo*, *lavo* et *juvo*, vix quisquam dubitare poterit, quin a *jutum* eodem modo formatum sit *jumentum*, quo a *volutum* derivavimus *volumen* et a *lotum* contendimus progenitum esse *lomentum*. Pro sententia mea pugnat Columella IV, praef. 3. „Nec tamen ulla regio est, in qua modo frumenta gignantur, quae non ut hominum ita armentorum *adjumento juvetur*. Unde etiam *jumenta* nomen a re traxere, quod nostrum laborem, vel onera subvectando, vel arando *juvarent*.“ Prorsus eadem nobis persuadere cupit L. Coel. Lactantius de falsa sapientia III, 12 p. 318. „ut in excolenda terra *juvarent*, unde dicta sunt *jumenta*.“ Rem ita semper esse habitam eorum nos quoque docet conatus, qui animo quodam pusillo et contracto abrepti, ne formationis laederent analogiam, scribere auderent *juvamen* et *juvamentum*. Veget. ars vetern, III, 4, 26 ut *juvamentum* praestetur ad medentis arbitrium. Quo minus *jugum* hujus derivati vocabuli ponamus stirpem, et significatio vocabuli *jumenti* repugnat et facta comparatione ejusdem stirpis vocabulorum *jumenti* et *adjumenti*, prorsus apparet, a juvare alterum, alterum ab adjuvare derivatum esse. Neque deest aliud a *jugo* progenitum vocabulum, quod nobis exhibet M. Cato R. R. XIV, „tigna omnia, quae opus sunt, limina, postes, *jugumenta*, (*jugamenta* J. B. R.)“ paulo post 4, „*jugumenta* (*jugamenta* J. B. R.) et antepagmenta, quae opus erunt indito.“ Inde orto verbo *jugumento* usus est Vitruv. 2, 1. „luteas glebas arefacientes, struebant parietes materia eos *jugumentantes*:“ neque

2 *

multo post „alternis trabibus angulos *jugumentantes.*“ Plane nobis vero disvadet ne a *jugo* derivemus *jumentum* productum u, quod participii *jutus* et *adjutus* servat naturam.

Quae hinc jam sequuntur in *umen* et *umentum* vocabula hac ratione formata esse videmus, ut assumta brevi vocali u utraque compositionis pars colligetur. Multum sane difficultatis exhibet vocabulum *columen* rem probaturo, praesertim cum Doederl. I, p. 32 et II, 107 paene ad liquidum perduxerit, ejusdem prorsus stirpis esse *columen* et *culmen*. Facta vero hoc genus similium vocabulorum comparatione, qualia sunt *integumentum*, *legumen* et *legumentum*, *documen* et *documentum*, *monumentum*, *offerumenta*, *tegumen* et *tegumentum* et eodem prorsus modo formata, intercedente littera brevi i, ut *ludimentum*, *regimen* et *regimentum*, *vellimen*, *sedimen* et *sedimentum*, vel inviti ab illa recedere cogimur opinione, cum longe alia formatio sit vocabuli *culmen* et prorsus ab hoc diversa *columen*. Solutis vero singulis hujus vocabuli elementis *col-u-men*, ultro deducimur adverbum *col-o*, quod equidem vocabuli ἔτυμον esse statuo. Vocalis quidem quantitas non repugnat, neque utriusque vocis significatio primaria tam longe discedit, ut omnino in unam conferri nequeant notionem. Colere enim nihil aliud significat, nisi assiduam quandam curam, quam adhibemus in exercenda aliqua re, ut eam in altiorem perfectionis gradum provehamur. Ita quidem res, corporis forma instructa, quae sub sensus cadit, ambitu atque amplitudine facile exaugetur et haud raro in altitudinem provehitur. Inde factum est, ut res aut ad summa corporum fastigia ducentes, aut eorum summas occupantes partes, *columina* dicerentur. Quandam vero notionis cognationem et similitudinem intercedere inter *culmen* a *cello* profectum et *columen* ex *colere* ortum, non mirum, quum utrumque verbum cognatam sursum agendi contineat notionem. Altitudinis quidem respectu altiorem locum occupasse videtur columen Vitruv. IV, 2, *columen* in summo fastigio culminis, unde et *columnae* dicuntur.

*Legumen* a *legere* satis probabili docuit argumento M. Varro RR. I, 23, 2. „hoc enim (cicer) quoque *legumen*, ut caetera, quae velluntur e terra, non subsecantur: quae quod ita leguntur, *legumina* dicta et I, 32, 2 „caeteraque, quae alii *legumina*, alii (ut Gallicani quidam) *legaria* appellant, utraque dicta a *legendo*, quod ea non secantur, sed vellendo *leguntur*.“ Quo modo vero factum sit, ut insiticium illud produceretur u, quod hoc genus vocabulorum corripit, haud facile quis probet nisi sumta auctoritate a Virgilio Georg I, 74 „Unde prius laetum siliqua quassante *legúmen*.“ Fere ad credendum inducimur licentia quadam poetica Virgilium et necessitate coactum, natura correptum produxisse vocalem. Qui enim aliter elidi potuit illud *u* in *ablegmina*, [6]) quod quidem vocabulum ejusdem stirpis deponere non dubitavit correptum u, ad similitudinem vocis *tegmen* a *tegere*. A Gellio confictum *legumentum* nullum alterum praeter hunc nactum est amatorem.

*Offerumenta*, obsoletum quod exhibet Paulus Diaconus ex lib. Pompeji Festi vocabulum „*offerumenta* dicebant, quae *offerebant*. Verum ut hujus vocabuli statumus ἔτυμον non necesse est ad supinum verbi *fero* confugiamus, quod olim *feritum*

---

[6]) cf. Commentarios in Pauli Diaconi excerpta de signif. verb. p. 330.

dictum contendit Dac.; [7]) vocali mutata *i* in *u*, ut optimus, optumus etc. sed ad analogiam eorum formatum est, quae interposito brevi u utramque compositionis partem conjunxerunt. Plaut. Rud. III, 4, 48. Nisi *offerumentas* habebis plures in tergo tuo

Quam ulla navis longa clavos;

Facete in tergo impressas servi plagas Plautus appellavit *offerumentas*, vocabuli mutata declinationis ratione.

*Tegumen* et *tegimen*, *tegmen*, *tegumentum*, *tegmentum* a *tegere*, quod tegendo inservit, pro arbitrio cujusvis aut retentum illud u sive i, aut non receptum esse videtur. Poëtis ac prosae orationis scriptoribus pariter accepta vox, pluribus scriptorum locis tam varie habita, ut quam proferas formam frustra saepius dubius haesites.

Jam vero, perspectis satis mobilibus ejusdem valoris u et i litteris, non amplius dubitabo ejusdem naturae tertiae classis addere vocabula: *regimen*, *regimentum* a *regere*, quo utimur exercentes in alios imperium, *ludimentum*, a *ludere*, a nullo melioris notae scriptore adhibita vox in Gloss. Philox.; *vellimina*, quae apud unum legimus Varronem R. R. II, 11, 9, „quam (lanam) demptam ac conglobatam alii *vellera*, alii *vellimina* appellant: ex quorum vocabulo animadverti licet prius lanae vulsuram, quam tonsuram inventam.“ Duplicato scribendum esse l, correptoque vocali i praecipere haud abnuo (licet varie scribatur velumia J. B. R. Junt. vellimna P. vellumia marg.); alterum auctore Scaligero, alterum ad docendos eos, qui producendum esse *i* affirmarunt.

*Alimentum* unde progenitum sit profecto quivis vel non monitus videt. A verbis secundae classis hoc genus derivata vocabula tria modo adsunt *documentum*, *monumentum*, *sedimentum*, quorum tam aperti, unde profluxerint, patent fontes, ut vel ipsis oculis inde prodire videamus. *Documentum*, quod ad nos docendos constituitur, satis tritum, prosae orationis scriptoribus vox, minus accepta poëtis, quorum tria modo mihi ad manus sunt exempla Horat Sat. I, 4, 10, „magnum *documentum*, ne patriam rem Perdere quis velit“ Plaut. capt. III, 5, 94, „Ego illis captivis aliis *documentum* dabo“ et Sil. Ital. Pun. V, 68 „et caedis *documenta* futurae.“ *Documen* unius Lucretii VI, 391, „*documen* mortalibus acre“ *ἁπαξλεγόμενον*. *Docimen* scripsit Terentian. de met. p. 2425.

*Monumentum* et *monimentum* a *monere*, quod constitutum alicujus personae aut rei in mentem nobis revocet memoriam, a quovis scriptorum genere haud parum detritum vocabulum.

*Sedimentum* a *sedere*, unus scripsit Plin. h. n. XXXVI, 10. 15. „Inundationibus Tiberis *sedimento* molis facto“ pro mole *subsidente*. Minus commendationis altera habet forma *sedimen*, quod ex Coel. Aurel. Tard. V, 4 et 10 med. affert lex. Schell.; penultimam corripere syllabam, non est quod dubites.

*Specimen* unde derivandum sit perbene nos docuit Plaut. Cas. III, 1, 2. „nunc *specimen specitur*, nunc certamen cernitur.“ Quod igitur cujusvis actionis proponitur ad inspiciendum et probandum documentum *specimen* est, nonnisi singulari adhibendum numero.

*Nomen* a *noscere*, *novi*, *notum*, retenta supini producta vocali, rejectoque, quae in fronte verbi *gnosco* aderat littera g, ut videmus in *agnosco*, *ignosco*, *cognosco*. Ne

---

[7]) cf. Interpretes in commentt. ad Pauli Diaconi excerpt. de sign. verb. XIII, p. 552.

quis hoc vocabulum, tamquam cognatum cum graeco conferat ὄνομα, vetat productum ὁ et prorsus aliud graeca vocis ἔννμον. Contra a graeco ortum esse γιγνώσκω nemo non videt. *Nomen* est igitur illud, quod rei aut personae cuidam ut proprium inhaeret, quo cognoscitur. Inde profecta sunt composita *agnomen*, *cognomen*, *praenomen*. *Pronomen* nonnisi grammaticis acceptum vocabulum satis auctoritatis habet a M. Varrone et Quinctiliano commendatum. In Sabinis sita urbs *Nomentum* Liv. I, 38. Virg. Aen. 6, 773, Plin. III, 5, 9 profecto ejusdem stirpis soboles est. *Agnomentum* in proprium sibi confinxit usum Appulejus, qui hoc genus nominum prae caeteris adamavit. Apolog. p. 310, 38 „Igitur *agnomenta* ei duo indita.“ Latioris sane usus, licet rarius a scriptoribus prosae orationis adhibitum, a poëtis prorsus repudiatum, si Plautum exceperis, *cognomentum*. Plaut. Mil. glor. IV, 2, 47 „Meum *cognomentum* qui commemoravit“ et Pseudol. IV, 2, 20. „Nam illa mea sunt *cognomenta*“ et Per. I, 2, 8 „His *cognomentum* erat duris capitonibus.“ Ex M. Annaei Senecae quidem verbis, quae in suasor. II, p. 22 legimus „ei impositum est *cognomen*, vel ut Messala ait, *cognomentum* et vocari coepit Senecio Grandio“ patet grandiorem et pleniorem vocem visam esse *cognomentum* quod illius declamatoris insania desiderabat, qui ut omnes res grandes habere ita in verbis quoque grandia dicere cupiebat. Caeterum Cicero, Sallustius et imprimis Tacitus saepius hac vocabuli forma usus est. *Ignominia* eadem stirpe progenita est.

*Momentum* a *movere*, *motum*, proprie dicitur illud, quod stateram, aequaliter pendentem, ponderis alicujus vel levissimi accessione, in alteram descendere cogit partem. Quam varie transferri possit vocabulum ad omnes res, quarum praestantiores semper sui generis designat partes, satis frequens ejus verbi optimae notae scriptorum prosae orationis testatur usus. Neque tamen omnino rejecta haec est forma a poetis, cujus rei testes mihi adsunt summae auctoritatis, Ovidius, Horatius, Terentius et alii. Quod vero Festus affert *momen* ex Lucilio: „*momine* se parvo possunt impulsu moveri“ haud scio an nullos praeter Lucretium invenit imitatores, qui duobus locis, in quibus usus est hac nominis forma, propriam hujus vocis non excessit significationem. Lucret. III, 189 „*Momine* uti parvo possint impulsa moveri.“
VI, 471. „Quod magis ad nubes augendas multa videntur
Posse quoque e salso consurgere *momine* ponti.“
Arnobium studio quodam obsoletae antiquitatis imitandae inductum II, 77 scripsisse „sed esse nullius existimandum est *mominis*,“ nonplus habet auctoritatis, quam Manilii 3, 675 „*Momina* in adversum flectat rursumque resolvat“ perversi usus movet taedium.

*Crementum* quin a *crescere* descenderit profecto nemo negabit. M. Varro Satir. Menipp. „ut *cremento* corpora fierent majora.“ Unus Plin. XI, 37, 55 „ad *crementa* lunae morbos sentiunt“ in usum non receptum vocabulum repetiit. Longe acceptius, quod inde confectum est compositum *incrementum*, prosae orationis scriptoribus satis tritum vocabulum, neque poetis fastiditum Virg. Eccl. IV, 49 „magnum Jovis *incrementum*“ Ovid. Met. III, 102 „populi *incrementa* futuri.“ Qua re inductus A. Gellius III, 10 „rerum atque hominum *decrementa*“ scripsit, recepta ab Appull. Met. XI, init. voce „Luna *decrementis* imminuitur,“ qui ut augeret ejusdem stirpis compositorum numerum, ex sua prodire jussit officina *concrementa*. Apolog. p. 306, 6 Elmenh. „In corpore *concrementa* varii fellis.“ Quod in Plin. hist. nat. IX,

2, 1 legitur *accrementum* „Mollique ac fertili *accremento*“ Harduinus tamquam spurium mutavit in *nutrimentum*. Aliud ejusdem stirpis compositum est *excrementum*.

*Crimen* transposita littera r et mutata vocali e in i a *cernere* esse derivandum plane perspicuum est, facta hujus vocabuli comparatione cum graeco *κρῖμα*, quod simili prorsus ratione nomen verbale ex perfecto *κέκριμμαι* formatum est. Crimen est igitur *ἔργον κεκριμμένον*, quod quibus judicium erat ferendum malam in partem acceptum, ut malefactum judicarunt. Cernendi vero significationem majorem in modum retinuit compositum *discrimen*, quod tamquam latum de diversitate duarum pluriumve rerum judicium constituitur.

Ob formationis quandam similitudinem subsequi jubebo *termen*, *termentum* et quae ejusdem stirpis sunt *detrimentum*, *intertrimentum*, *intrimentum*, *retrimentum*. Varro LL. 44 „*Terminus* quum in Latio aliquot locis dicitur ut apud Accium, non *terminus* sed *termen*,“ quod sane ab etymo *tero* progenitum contendo. *Termonem* Ennius *terminum* dixit, ut ex Paul. Diac. excerptis etc. XVIII, p. 155 videmus, servata graeca forma *τέρμων*. Idem testatur *Termentum* dici apud Plaut. pro *detrimento* quod legitur Bacch. IV, 9, 5 „Non Pelides *termento* fuit, prout ego herum expugnabo meum“ Quam ob rem in *tormentum* mutatum voluerit Salmasius, equidem non video, quum addiderit Festus expressis verbis „*pro detrimento*,“ quae longe acceptior vocabuli fuit forma, dictum fuisse. Neque minus ille Pelides *termento* fuit Trojanis, quippe qui inflicto *detrimento*, plura fecerit, quibus Trojani contererentur, quam quibus expugnaretur Troja, quod invidi ei negaverant Dii.

*Detrimentum* a *deterere*, servata longa supini vocali poëtis parum gratum vocabulum. Terent. Her. II, 1, 37 „de te peccando nihil *detrimenti* fieri potest.“ Horat. „*detrimenta* servorum.“ *Intertrimentum* ejusdem fere significationis: *intrimentum* unus dixit Appulej. Met. X, p. 244, 31 „qui sapidissimis *intrimentis* succuum pulmenta condita vapore mollibat: *retrimentum* quod cujusdam rei deterior pars a meliore detritum tamquam ad aliud quid inutile rejicitur v. g. digestionis faex et similia.

*Stramen* et *stramentum* a *sterno*, *stratum*, omnia quae idonea sunt ad substernendum, quo commodius incumbat aliquis, aut quae ad integenda agrestium tuguria inserviunt, quibus rebus quum peridonei essent frumentorum culmi vel hi ipsi hoc designabantur nomine Liv. II, 5 „desectam cum *stramento* segetem.“ *Stramen* acceptius poëtis vocabulum, nulli optimae notae scriptorum prosae orationis probatum, neque tamen repudiatum a Val. Fl. IV, 497 et Plin. h. n. X, 54. *Stramentum* non plane ingratum poetis, cuivis scriptorum prosae orationis probatum. *Substramen* rarius ab uno Varrone in usum suum conversum, singulari prorsus ratione adhibuit Sil. Ital. 12, 44. „Lubrica roboreis aderant *substramina* plaustris“ pro rotis. Suam notionem vocabulo servavit Reposian. Concub. Mart. et Ven. 46 „Flos lectus, flos vincla toris, *substramina* flores.“ *Substramentum* vel uno in loco, quo legitur apud M. Cat. RR. CLXI. „quo anno severis, *substramentis* per hiemem aperito, ne peruratur,“ in dubium vocatum ab iis, qui duobus scriptum voluerunt verbis „*sub stramentis*.“

§. 8.

Nomina, quae verborum in stirpe receptam consonantem abjiciunt, quo aptius singulae compositionis partes coalescere possint.

*Caementum* a *caedere*, est recisa major minorve saxi pars, ad jacienda murorum fundamenta (Horat. Carm. III, 1, 35 „huc frequens *caementa* demittit redemtor“)

3 *

neque minus ad extruendos farciendosque muros. Plin. h. n. 36, 22, 51. „Farcire muros in medio *caementis* factis.“ Praeter Horatium haud scio an quisquam alius poëta hoc usus sit vocabulo. Saepius plurali in numero occurrit. Heteroclitis adnumerandum est *caementum* ob alteram in a exeuntem formam *caementa*, *ae*, qua usum esse Ennium testatur Non. cap. 3, 42 „Labant, labuntur saxa, *caementae* cadunt“ cf. Forcel. Lex. Praeter omnem analogiae rationem formavit Plin. et qui auctor est incerti fragm. apud A. Maj. in praef. Cic. de Rep. p. XL, *recisamentum* Plin. h. n. 34, 11, 26 de aerugine: „Ocissime vero continget coronariorum *recisamentis* in acetum additis;“ alter „Ac duo *recisamenta* totius pyramidis.

Eadem prorsus ratione elisa littera d ex *radere* derivantur *ramen*, *ramentum*, *ramenta*, *ae*, *rasamen*, quorum primum laudat C. Barth Advers. 4, 4 ex Marc. Empir. neque est cur *rasamen* legendum censeamus, quum ex analogia formatum facile probari possit. *Ramentum* satis quidem auctoritatis habet a Plauto Bacch. IV, 4, 29 „Patri omne (aurum) cum *ramento* reddidi“ adhibitum, neque a Lucretio repudiatum VI, 1042“ Ac *ramenta* simul ferri furere intus ahenis In scaphiis.“ Omni vero adstaret commendatione orbatum, nisi a Plin. h. n. ad satietatem esset detritum. Martialis X, 3, 3 „Quae sulphurato nolit empta *ramento*“ *Ramenta*, *ae* ab uno Plauto locis jam laudatis, repetito usu nonnihil accepit auctoritatis. *Rasamen* laesa formationis analogia ab uno Marcell. Empir. I, p. med. „*rasamen* pastae, quod in magide adhaeret“ parum commendatum.

*Sarmentum* unde succreverit facile cognosces in consilium adhibito Festo (Pauli Diaconi excerpt. p. 146) „*Sarpta* vinea putata, i. e. pura facta, unde et virgulae abscisae *sarmenta*. *Sarpere* enim antiqui pro purgare ponebant. Ne vero omni sui simili nomine destitutum putemus socium ei addam non absimili natura, ab eodem Festo nobis servatum: „*Decermina* dicuntur, quae *decerpuntur* purgandi causa. Ut igitur a *sarpere*, *sarmentum*, ita a *decerpere decermina*; quorum tamen alterum minus acceptum nullos sui nactum est amatores. *Sarmentum* vero ab optimis latinae linguae receptum auctoribus, frequens in usum est adhibitum a prosae orationis scriptoribus; inter poetas a Sil. Ital. Pun. VII, 314. „*Sarmenti*que leves fronti religare maniplos,“ receptum est.

Hinc jam totum eorum producam agmen, quae rejecta littera n, quam ad corroborandam verbi formam receperant, tamquam supervacaneam repudiarunt in nominibus progenitis, puta: *strigmentum* et *destrigmentum*, *figmen* et *figmentum*, *fragmen* et *fragmentum*, *pagmentum*, *propagmen* et *antepagmentum*, *pigmentum:*

*Strigmentum* a *stringere* Plinio, Celso, Val. Maxim. Palladio satis notum vocabulum ante horum tempus non in usum receptum esse videtur; designat eas corporum partes, quae detritae et abstersae veluti sordes saepius viliorem abierunt in usum: *destrigmentum* ab uno Plinio semel adhibitum h. n. XX, 3 ab Hard. de *strigmentis* scriptum.

A *fingere*, *fictum*, *figmen* et *figmentum* alterum apud Prudentium Apoth. repetito usu obvium; *figmentum* ex Gellii videtur prodiisse officina, ab Ammiano et Appulejo receptum.

Melioris sane notae et quod plus habet commendationis et auctoritatis est *fragmen* et *fragmentum* a *frangere* utrumque vocabulum poëtis et optimae fidei scri-

ptoribus prosae orationis satis acceptum, fractas designet et aut sedulo aut fortuito corporum disjunctas partes, neque minus reliquias rerum violenter disjectarum.

*Antipagmenta* quae sint nos docet Festus (Pauli Diaconi excerp. I, p. 8) praecipiens „valvarum ornamenta, quae antis appanguntur i. e. affiguntur.“ Quod vocabulum quum architectorum sit, nonnisi a Vetruvio, M. Catone, Plinio usu detritum reperimus. Ne vero ignoremus stirpem hujus nominis denuo adeundus nobis est Festus: „*pangere*, *figere*, unde plantae *pangi* dicuntur, quum in terram demittuntur; inde etiam versus *pangi* vel *figi* in cera dicuntur.“ Hinc derivandum esse *pagmentum*, Vitruvius IV, 6 „Qui sunt ante secundum pagmentum“ nihil est quod dubites. Quid vero facies vocabulo „*propagmen*“ profecto dubius haeseris legens Non. I, 317 qui Ennium scripsisse narrat „Nobis unde ferent fructus vitaeque *propagmen*.“ Ex *propagamen* enim contractum esse vix affirmare audeo.

*Pigmentum* a *pingo*, quod pingendo inservit, Ciceronis satis usitatum nomen, plerumque plurali numero obvium. Poëtae omnino hoc abstinuisse vocabulo videntur.

Examinatis illis nominibus, quae repudiarunt litteram, quam ad corroborandam stirpem receperant verba, addam quaedam externa quidem forma haud dissimila: *Augmen* et *augmentum*, *agmen*, *coagmentum*, *segmen* et *praesegmen*, *segmentum*. *Augmen* et *augmentum* ab *augere: augmen* Lucretio pergratum vocabulum I, 435, II, 72, III. 269, V, 1306, VI, 607, nullum praeter hunc invenit amatorem, *augmentum* aureae quidem aetatis nullum habuit cultorem. Plinius, Claudius poëta, Pallad. Appul. hujus vocis non abnuerunt usum, qua significarent rei cujusdam auctam amplitudinem. Quod vero apud Varr. LL. 4, 22 legitur „*agumentum*, quod ex immolata hostia desectum in jecore imponendo *agendi* causa“ haud dubie in *augumentum* mutandum est, et simul *augendi* causa scribendum. Ad similitudinem vocabuli *tegumen* formatum esse videmus.

*Agmen* ab *agere* formatum nomen, poëtis et prosae orationis scriptoribus aeque gratum vocabulum, designat id, quod aut alicujus imperio ductum, aut proprio impulsum motu incedit; inde quaevis exercituum partes *agmina* dicta reperimus, neque minus Ennius apud Macrob. Sat. 6, 4 „quod per amoenam urbem leni fluit *agmine* flumen“ quod imitari non dubitavit Virg. Aen. II, 782 „levi fluit *agmine* Tibris.“

Alteram in *mentum* exeuntem formam ejusdem verbi compositum *cogere* exhibet *coagmentum*, cujus ἔτυμον Non. I, 202 nobis indicat „*coagmenta* sunt conjunctiones arctae et compares a cogendo i. e. stringendo.“ Rarior hujus vocabuli usus non repudiatum a Plauto Most. III, 2, 144 et a Caesare B. C. III, 105 commendatum, Catonem, Vitruvium, Gellium habuit cultores.

Alterum ejusdem stirpis compositum *examen* molestum rejecit g, retinens ex parte quadam simplicis vocabuli significationem, ut videmus in apum *examinibus* Cicero off. I, 44. „Apum *examina* fingunt favos.“ Horat. Carm. I, 35, 30 „Et juvenum recens *examen*.“ Lucret. V, 1363 „*examina* pullorum,“ nomen serioris aetatis scriptoribus imprimis adamatum; partim exprimit substantivi nominis notionem, quam translatam deprehendimus in composito verbo exigere, cujus rei testis est Virg. Aen. XII, 722 Jupiter ipse duas aequato *examine* lances sustinet.“ Inde desumtum verbum *examinare* i. e. inquirere, perpendere. Ne vero destitutum sit sui generis comitibus ei male fidum addam *subtemen*, quod saepius abjicit illud g quam retinet.

*Frumentum* a *frui*, producta vocali *ū*, quam eandem deprehendimus in *frúgi*

et *früges;* neque olim verbo ipsi defuisse testatur participium *fructus* et quod affirmat Valer. Maxim. Epitome de nom. rat. A. Thys. p. 852. „Olim enim dicebant *frugmentum*, nunc *frumentum* profertur.“ Neque huc trahi potest quod extat *frumen* vocabulum scriptoribus melioribus notae ignotum cf. Forcell. Lex.

*Instrumentum* ab *instruere*: quum adsit longum u, non dubito quin elisa sit littera gutturalis, quam retentam videmus in participio *structus* et nomine *structura*.

Quae vero restant tria vocabula in *umen*, *flumen*, *lumen*, *sumen*, abjecta gutturali littera etymi, productum retinent u. *Flumen* a *fluere* unde et fluctus, aut cujusvis fluidae designat materiae decursum, aut in unum corpus confusum liquorem. *Lumen* a *lucere*, lucendi vim et copiam continet, quam ut oculis percipi possit in alia transfunditur corpora cf. Doederl. II, p. 67. *Sumen* a *sugere* quin derives nihil est quod dubites, *suctus* enim et *succus* indidem procusa satis exhibent argumenti. Neque mea quidem opinione a veritate abhorrere videtur, quominus ex similitudine sonus, quem porcelli edunt in *sugendi* actu ἔτυμον vocis ortum sit. Inde igitur et quod sues summam praebeant *sugendi* copiam (nulla enim alia animalia uno partu tantum pullorum edunt numerum) factum est, ut prae caeteris animalibus suum illi parti, quae circa ubera est hoc imponeretur nomen. Propter pinguitudinis et ubertatis significationem, Caesar Vopiscus aedilicius, causam cum ageret apud Censores campos Rosae Italiae *sumen* dicere non dubitavit, sensu tralaticio cf. M. Varro. RR. I, 7, 10.

*Segmen*, *segmentum* et *praesegmen* ob analogiam supini verbi *seco*, ex tertia conjugatione desumtum, sui generis nominibus haud rejiciendos addam socios. *Segmen*, unde ortum sit videmus ex Ausonii Ecl. I, 7 „Sed solidum in parvis, nullique *secabile segmen*“ parum habet commendationis a Plinio, Gellio, Vitruvio non repudiatum, designans resectas corporum partes. Eadem prorsus notione haud melioris notae scriptoribus familiaris forma *segmentum*, quam tamen nobilitavit Ovid. Ar. Am. III, 169 Quid de veste loquar? nec vos *segmenta* requiro.“ Compositum *praesegmen* a Plauto Aul. II, 4, 33 „quin ipsi pridem tonsor dempserat: collegit, omnia abstulit *praesegmina*“ interprete Nonnio II, 639 „quae unguibus eminulis praesecuntur“ confictum esse videtur. Unus Appulej. ad imitandum paratus Met. 2, „Rogis reliquiae quaedam et cadaverum *praesegmina* ad exitiabiles viventium fortunas petuntur.“

## §. 9.

Difficilioris sane investigationis, et quorum non aperti prostant fontes vocabula ejusdem prorsus naturae sunt *carmen* et *germen*, quae unde originem traxerint pluribus conjectura assequi, quam certis probare argumentis contigit. Conrad Schwenk [8]) probabili certe ratione argumentatur ex obsoleto *casno*, *casmen* et *casmenam* factam, et mutata littera s in r *carmen* ortum. Cognatas inter se esse litteras r et s, saepeque alteram alterius loco in una eademque voce esse positam optime probavit Konr. Leop. Schneid. Grammatik der lat. Sprache. Elementarlehre 1r. Bd. p. 341 seqq. At sane in ambiguo relictum utra prius adfuerit littera, alteramque aetate praecucurrerit. Livius enim, cujus sane hac in re magna esse debet auctoritas, de aetate utriusque litterae

---

[8]) cf. Rhein. Museum für Philolog. II. Jahrgang II. Heft et Beitrag zur Wortforschung der lateinischen Sprache II, p. 21 et pag. 85.

nihil addidit. III, 4. Furios Fusios scripsere quidam et III, 8 Veturium Geminum; sive ille Vetusius fuit. Quo non probato sane breviore via res confici potest. Ex *canere* ortum esse *carmen* dubitari nequit. Liv. IV, 20 „In eum milites *carmina* incondita, aequantes eum Romulo, *canere*.“ Quum vero nunquam litteram n subsequatur m et propter cognatam naturam n et r facile inter se mutari possent cf. Schneid. I, p. 318 pro *canmen* dictum est *carmen* et *Carmena*, „inde r postea extrito *Camena* factum“ auctore Varrone LL. 6, 3. Ejusdem prorsus originis *Carmenta*, vates Arcadica, Evandri mater, quae in Italiam appulsa, benigne a Fauno recepta narratur. *Ἔτυμον* vero vocis indigenam eam fuisse convincit, aut certe eam in Italiam receptam suam deposuisse nomen, et quod *carmina* composuit consulentibus, *Carmentam* dici coeptam.

*Germen* qui derivare conabantur ex *gerere* et contractum ex *gerimen* contenderunt non audiendi sunt, maleque creduli et similitudine litterarum decepti ad verum *ἔτυμον* hujus nominis deducendi, ad verbum *geno*. Quo propior ad fidem iis accedat res, argumentum petam ex Tertulliano, qui ne obliteraret stirpem, unde succrevit, pro *germen genimen* finxit Tert. Anim. 39 „Omnes idolatria obstetrice nascuntur, dum ipsi adhuc uteri infulis apud idola confectis redimiti, *genimina* sua daemoniorum candidata profitentur.“ Formam hanc vocis, nulli melioris notae probatum scriptori servavit Vulgata Math. XXVI, 29 *genimen* vitis et Luc. III, 7 *genimina* viperarum. Qui vero propius intuens *germinis* vocabuli scrutatur naturam et structuram, nonnisi omni ingenii mentisque orbatus acumine, eandem hujus vocis conspicit formationem, quam in praecedente probavimus *carmine*. Quo cognito, neque dubii haerebimus, unde adjectivum *germanus* profectum sit. Ejusdem prorsus stirpis est *gramen*, quod transposito satis mobili littera r externam obscuravit vocabuli speciem. Significat perpetuo progenitum et regeneratum, quod quidem nomen eo magis huic innatum est rei, quum per omnem rerum ordinem nihil extet, cui tanta regenerandi atque *germina* provocandi insit vis.

Ut vero in recipienda littera r quodammodo certarunt *carmen* et *germen*, ita *semen* caninam hanc litteram sibi obtrudi non passum est, licet *sero* unde enatum est *semen* tam arctam cum r constraxerit familiaritatem, ut eam genuinam esse hujus verbi quovis pignore contenderis. Verbi *sero* autem natura accuratius considerata jam amplius non dubitabis, quin benigne receptum r, quod nimis debilem fulciret verbi stirpem continuo abjiciatur, simulac alia consonans satis exhibuit firmitatis iis formis, quae descendunt a perfecto *sevi* et supino *satum* cf. Struve üb. d. lat. Decl. u. Conjug. p. 46.

Abjecto, quod plus stirpi daret firmitatis, altero l, mutataque vocali e in u ex *cello*, cujus verbi modo composita servata sunt cf. Doederl. II, p. 94 formatum est *culmen*. Simplex *cello* enim *ceculi* perfecti habuisse formam verisimile est, argumentoque sumto ex *percello perculi* facile probari poterit hinc ortum esse *culmen*. Doederl. II, 106. Rem ita comparatam esse, verumque vidisse virum doctum facile nobis persuadetur, facta nominis *pulmenti* comparatione, quod ad eandem prorsus analogiam ex *pello pepuli* formavit *pulmentum*, neque est quod fidem habeas Varroni LL. IV, praecipienti „placenta, quod edebant cum pulte. Ab eo *pulmentum*, ut Plaut (Aul. II, 4, 37 *Pulmentum* pridem eidem eripuit milvus et Rud. IV, 2, 32 sine bono *pulmento*) hinc *pulmentarium* dictum.“ Ejusdem enim stirpis soboles utrumque est vocabulum *puls* et *pulmentum*. In Varronis verba juravit Isidor XX, 2, „*pulmentum* vocatur a

pulte, sive enim sola pultis, sive quid aliud ejus permixtione sumatur, *pulmentum* proprie dicitur." Paulo infra: „*Pulpa* dicta, quia cum pulte olim commixta vescebatur. Unde et *pulmentum* et *pulmentarium* dicitur. *Pulmentum* vero primitus profecto nihil aliud significavit, nisi far quod immixta aqua *pellendo* i. e. *commovendo* et *pulsando* in unum coire cogebatur corpus. Quod pellendo igitur coaluit dictum est *pulmentum*, postea vero quum palatum pro delicatiore victus ratione plures res commisceri juberet et in unum confundi, alia quoque fercula *pulmenta* dicta sunt. Horat. Epist. I, 18 Coenes ut pariter *pulmenta* laboribus emta.

At hic jam sistamus pedem et quae reliqua sunt hoc genus nomina in men et mentum desinentia, quorum non satis perspicua est origo, in aliud proferamus tempus magis opportunum.

J. F. Lingnau.

---

## Corrigenda.

| | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|
| P. | 5 | lin. 12 | pro | culam | lege | culam |
| P. | 6 | — 39 | — | imitamen | — | imitámen |
| P. | 8 | — 11 | — | Hac solamen | — | Hoc solamen |
| P. | 9 | — 7 | — | consectura | — | confectura |
| P. | 12 | — 26 | — | invenit | — | invenerit |

# Schulnachrichten.

## 1835 — 1836.

## I. Lehrverfassung.

### Prima.

Ordinarius: Hr. Professor Biester.

1. Latein. Horaz Episteln und Oden, B. 1. u. 2. mit Auswahl. 2 St. Der Direktor. — Cicero de off. B. 1. u. 2. 3 St. Hr. Prof. Biester. — Stil- u. Sprechübungen 1. Abth. 3 St. Hr. Oberlehrer Lingnau; 2. Abth. 3 St. Hr. Prof. Biester. In diesen Stunden wurden folgende Gegenstände behandelt: Grammatik, Exercitien, hauptsächlich aus Kraft's Anleitung zum Uebersetzen aus dem Deutschen in's Lateinische, 2. Kursus; Aufsätze; Abschnitte aus der griechischen und römischen Litteraturgeschichte.

2. Griechisch. Soph. Ajax, 2 St. Der Direktor, — Plato's Phaedo, 2 St. Hr. Prof. Biester. — Homer Jlias B. 7, 8, 9; Grammatik u. Uebungen aus Blume's Anleitung zum Uebersetzen aus dem Lateinischen in's Griechische. 3 St. Hr. Oberlehrer Dr. Bumke.

3. Hebräisch. Grammatik nach Gesenius; übersetzt wurde Jud. 1—13, 1. Sam. 1—4. 2 St. Hr. Prof. Biester.

4. Französisch. Montesquieu considérations sur la grandeur et la décadence des Romains; Extemporalien. 2 St. Hr. Prof. Biester.

5. Deutsch und philosophische Propaedeutik. Abschnitte aus der Poetik, als Einleitung in das Lesen der Dichter; deutsche Litteraturgeschichte, 1. Theil. Aufsätze. Empirische Psychologie. 3 St. Der Direktor.

6. Religion. a. Für die katholischen Schüler. Erklärung des Evangeliums nach Johannes a. der Grundsprache; Geschichte der christlichen Kirche vom 5. Jahrh. bis zur neuen Zeit. 2 St. Hr. Religionslehrer Ditki (v. Schulchronik, 3). b. Für die evangelischen Schüler. Erklärung des Briefes an den Timotheus aus der Grundsprache; Geschichte der christl. Kirche im Reformations-Zeitalter. 2 St. Hr. Pfarrer Bock.

7. Geschichte. Vom Ende der Kreuzzüge bis zum Zeitalter Ludwig XIV. Geschichtliche u. geographische Wiederholungen. 3 St. Der Direktor.

8. Mathematik. Unbestimmte Analytik; höhere Gleichungen; analytische Trigonometrie u. Cyclometrie; Wiederholungen. 3 St. Hr. Oberlehrer Dr. Kruge.

9. Physik. Statik, Mechanik, Hydrostatik u. Optik; Wiederholung einzelner Abschnitte. 2 St. Hr. Dr. Lilienthal.

Aus der Naturbeschreibung wurden in gelegentlichen Stunden Wiederholungen von Hr. Dr. Saage angestellt.

---

## Ober-Sekunda. *)

Ordinarius: Hr. Oberlehrer Lingnau.

1. Latein. Virgil. Aen. B. 3, 5, 6. 2 St. Livius B. 1—3. 4 St. Grammatik (Gebrauch der Zeiten und Arten) eingeübt nach August's Anleitung u. freigewählten Exercitien; Uebersetzung aus Kraft's Anleitung, 1. K. 3 St. Hr. O. L. Lingnau.

2. Griechisch. Hom. Odyss. B. 2—11. 2 St. Xenoph. Cyropäd. B. 2—4. 2 St. Grammatik u. Uebersetz. aus Rost u. Wüstemann. 2 St. Hr. O. L. Lingnau.

3. Hebräisch. Grammatik nach Gesenius; übersetzt Anfang d. Genesis. 2 St. Hr. R. L. Ditki.

4. Deutsch. Verskunst nach Gotthold's Hephästion; Aufsätze. 3 St. Hr. Prof. Biester.

5. Französisch. Grammatik nach Hirzel; übersetzt Télémaque B. 7—9. 2 St. Hr. O. L. Lingnau.

6. Religion. a. Für die katholischen Schüler. Die Lehre von den h. Sakramenten. 2 St. Hr. R. L. Ditki. — b. Für die evangelischen Schüler. Den Brief an die Epheser deutsch gelesen. Geschischte der christl. Kirche. 2 St. Hr. Pf. Bock.

7. Geschichte. Mazedonien, die Diadochen, Rom. 2 St. Der Direktor.

8. Mathematik. Trigonometrie, Anfang der Stereometrie; Wiederholung der Gleichungen u. der Progressionslehre. 3 St. Hr. Dr. Lilienthal.

9. Physik. Die allgemeinen Eigenschaften der Körper; Grundlehren der Chemie; Magnetismus u. Electromagnetismus. 2 St. Hr. Dr. Lilienthal.

---

## Unter-Sekunda.

Ordinarius: Hr. Oberlehrer Dr. Bumke.

1. Latein. Virgil B. 3—6. 2 St. — Cicero, orat. pro Milone u. pro Dejotaro, 3 St. Grammatik, Zumpt 493—587, durch Beispiele aus August eingeübt. Kraft 1. Kurs. 1—40. 3 St. Hr. Dr. Bumke.

2. Griechisch. Hom. Odyss. B. 4. 2 St. Hr. Prof. Biester. — Xenoph. Cyrop. B. 2 u. 3. init. Grammat. u. Uebungen aus Halm Anleit. 4 St. Hr. Dr. Bumke.

3. Hebräisch. Mit Ober-Sekunda.

4. Deutsch. Die Formen der Prosa; Figuren und Synonymen; Uebungen im schriftlichen u. mündlichen Vortrage. 3 St. Hr. Dr. Kruge.

---

*) Sekunda und Tertia waren in diesem Schuljahre in zwei einander untergeordnete Klassen getheilt, welche die angegebenen Benennungen erhielten.

5. Französisch }
6. Religion } Mit Ober-Sekunda.
7. Geschichte }
8. Mathematik. Quadratische Gleichungen; Progressionen und Logarithmen; Aehnlichkeit der Figuren; Anwendung der Algebra auf geometr. Gegenstände. 3 St. Hr. Dr. Kruge.
9. Physik. Mit O. S.

## Ober-Tertia.

Ordinarius: Hr. Gymnasial-Lehrer Dr. Lilienthal.

1. Latein. Ovid nach Nadermann's Ausgabe B. 6—8. 2 St. Hr. Dr. Lilienthal. — Julius Cäsar, bell. gall. B. 7. Grammatik, Zumpt 493—517 nebst Wiederholung des elementarischen Theils; Uebungen aus August. 6 St. Hr. Dr. Bumke.
2. Griechisch. Xenoph. Anab. B. 3—5. Grammatik u. Uebungen nach Blume. 5 St. Hr. Dr. Saage.
3. Deutsch. Der histor. u. didaktische Stil; Uebungen. 3 St. Hr. Dr. Kruge.
4. Französisch. Grammatik; Hecker's Lesebuch. III. 2 St. Hr. Dr. Lilienthal.
5. Religion. a. Für die katholischen Schüler. Die Glaubenslehre. 2 St. Hr. R. L. Ditki. b. Für die evangelischen Schüler. Sittenlehre; Lesen u. Erklären der Stellen des A. u. N. T., welche eine besondere Beziehung auf die Sittenlehre haben. 2 St. Hr. Pfarrer Bock.
6. Geschichte u. Geographie des preussischen Staates. 3 St. Hr. Kandidat Kolberg.
7. Mathematik. Die Lehre vom Kreise, von den Potenzen u. Wurzelgröſsen; Gleichugen des 2. Grades. 2 St. Wiederholungen a. d. Arithmetik. 1 St. Hr. Dr. Lilienthal.
8. Naturbeschreibung. Fische u. Amphibien; Botanik. 2 St. Hr. Dr. Saage.

## Unter-Tertia.

Ordinarius: Hr. Gymnasial-Lehrer Braun.

1. Latein. Phädrus, B. 1—4 mit Auswahl. 2 St. Cornel. Nepos, die in Quarta noch nicht gelesenen Biographieen, nach Ostern Jul. Caes. bell. gall. B. 1. Grammatik: Wiederholung, Syntaxis modorum, mit d. entsprechenden Beispielen aus Dronke, freigewählte Exercitien. 6 St. Hr. G. L. Braun.
2. Griechisch. Jacobs Elementarbuch p. 117—171; nach Ostern: Xenoph. Anab. B. 1. Grammatik: die unregelmäſsigen Verba. 6 St. Hr. G. L. Braun.
3. Deutsch. Allgemeine Eigenschaften des Stils; die besondern des Briefstils u. Geschäftstils; Uebungen. 3 St. Hr. Dr. Kruge.
4. Französisch }
5. Religion } mit O. T.
6. Geschichte u. Geographie }

7. Mathematik. Wiederholung der Planimetrie bis zur Lehre vom Kreise; die Lehre v. d. Potenzen u. Wurzelgröſsen; Gleichungen des 1. Grades. 2 St. Wiederholungen aus der Arithmetik. 1 St. Hr. Dr. Lilienthal.

8. Naturbeschreibung. Mit O. T.

---

## Quarta.

Ordinarius: Hr. Gymnasial-Lehrer Dr. Saage.

1. Latein. Cornel. Nepos, 10 Biographieen. Grammatik: Wiederholung des etymologischen Theils; Syntaxis casuum et temporum; Uebungen aus Dronke u. in freigewählten Exercitien. 7 St. Hr. G. L. Braun.

2. Griechisch. Formenlehre bis zu den unregelmäſsigen Zeitwörtern; Jacobs Elementarbuch. 4 St. Hr. Kandidat Januskowski.

3. Deutsch. Die Lehre vom Satze u. der Interpunktion; schriftliche u. mündliche Uebungen. 4 St. Hr. Dr. Saage.

4. Religion. a. Für die kathol. Schüler. Katechese über die Sittenlehre und die h. Sakramente; biblische Geschichte. 2 St. Hr. R. L. Ditki. — b. Für die evangelischen Schüler. Mit Tertia.

5. Geschichte und Geographie. Physische Geographie; die auſsereuropäischen Erdtheile. Erzählungen aus der alten Geschichte. 3 St. Hr. K. Januskowski.

6. Mathematik. Dezimalbrüche; entgegengesetzte Gröſsen; Buchstabenrechnung; Planimetrie bis zur Lehre vom Kreise. 4 St. Hr. Dr. Kruge.

7. Naturbeschreibung. Säugethiere; nagende Insekten. 2 St. Hr. Dr. Saage.

8. Schreiben nach den Heinrigschen Vorschriften. 2 St. Hr. Höpffner.

---

## Quinta.

Ordinarius: Hr. Kandidat Januskowski.

1. Latein. Jacobs und Döring latein. Elementarbuch S. 37—47 u. 68—126. Einübung des etymologischen Theils der Grammatik u. Syntaxis casuum; Uebersetzen aus August's Vorübungen u. Dronke's Beispielsammlung. 7 St. Hr. K. Januskowski.

2. Deutsch. Der zusammengesetzte Satz; Uebungen in der Orthographie, im Lesen, im mündlichen u. schriftlichen Ausdrucke. 5 St. Hr. K. Januskowski.

3. Religion. a. Für die kathol. Schüler. Katechesen über die Glaubenslehre; biblische Geschichte nach Kabath. 2 St. Hr. R. L. Ditki. — b. Für die evang. Schüler. Erklärung der 5 Hauptstücke. 2 St. Hr. Pf. Bock.

4. Geschichte, mit dem Unterrichte im Deutschen in Verbindung gesetzt, Erzählungen aus der alten Geschichte. 1 St. Hr. K. Januskowski.

5. Natur- und Erdkunde. Wiederholung der allgemeinen Erdbeschreibung; Europa. Vögel; nagende Insekten. 3 St. Hr. Dr. Saage.

6. Rechnen. Die Lehre von den Brüchen; Proportionsrechnung. 4 St. Hr. Dr. Lilienthal.

7. Schreiben. 4 St. Hr. Höpffner.

---

### Sexta.

Ordinarius: Hr. Kandidat Kolberg.

1. Latein. Formenlehre; Jacobs u. Döring Elementarbuch, Abschnitt 1. u. 3. Memoriren von Vokabeln; Anfänge des Uebersetzens aus dem Deutschen in's Lateinische nach August's Vorübungen. 7 St. Hr. K. Kolberg.

2. Deutsch. Der einfache Satz; Entwickelung der Wortarten; Uebungen im Sprechen, Lesen u. in der Orthographie. 5 St. Hr. K. Kolberg.

3. Religion. a. Für die kathol. Schüler. Katechesen über einzelne Glaubens- und Sittenlehren; Memoriren der darauf Bezug habenden Bibelstellen; biblische Geschichten. 2 St. Hr. R. L. Ditki. — b. Für die evangel. Schüler. Mit Quinta.

4. Natur- u. Erdkunde. Allgemeine Beschreibung d. Erde u. Belehrung üb. einzelne Gegenstände auf derselben. 2 St. Hr. Dr. Saage.

5. Rechnen. Die vier Spezies in unbenannten u. benannt. Zahlen; die Lehre vom Bruche; Anfang der Proportionsrechnung. 4 St. Hr. K. Kolberg.

6. Schreiben. 4 St. Hr. Höpffner.

Im Gesange wurde der Unterricht in vier Abtheilungen von Herrn Lindaner, im Zeichnen in drei Abtheilungen von Herrn Höpffner ertheilt.

Die gymnastischen Uebungen wurden wegen Mangels an Theilnehmern in diesem Jahre nicht fortgesetzt. Uebuugen im Schwimmen fanden für einen Theil der Schüler an der hiesigen Schwimm-Anstalt in besonderen Stunden statt.

---

## II. Höhere Verordnungen.

Reskripte des Königl. Hochverordneten Provinzial-Schul-Kollegiums.

1. Vom 15. August 1835. Das Königl. Ministerium der Geistlichen etc. Angelegenheiten hat auf die Frage, nach welcher Zeit Schüler, die aus Prima eines Gymnasiums abgegangen sind, zur Maturitäts-Prüfung zugelassen werden können, sich dahin erklärt, daſs auch auf solche Schüler die Bestimmungen im §. 7. des Reglements vom 4. Juni 1834 Anwendung leiden.
2. Vom 3. September 1835. Uebersendung eines Auctions-Katalogs von dem Kabinet physikalischer Instrumente und von der Sammlung für Oryctognosie, welche zum Nachlaſs des Geh. Medizinal-Raths Hermbstädt gehören.
3. Vom 26. October 1835. Ueber die Anforderungen, welche an Schüler der Gymnasien bei der Versetzung aus Sekunda nach Prima gemacht werden sollen.
4. Vom 26. November 1835. Die Programme sind sogleich nach dem Examen einzureichen.
5. Vom 29. Januar 1836. Uebersendung des Verzeichnisses der von dem verstorbenen Prof. Dr. Schleiermacher in Berlin hinterlassenen Bibliothek.
6. Vom 26. Februar 1836. Die Artikel 1. 2. und 4. des Bundes-Beschlusses vom 14. November 1834, welcher durch die Gesetzsammlung vom Jahre 1835 No. 28. S. 287 bis 289 bekannt gemacht worden ist, sollen durch eine unter die Abiturienten-Zeugnisse zu setzende darauf verweisende Notiz in Erinnerung gebracht werden.

7. Vom 6. März 1836. Mittheilung einer Abschrift des Protokolls der zweiten Konferenz der Direktoren der Ost- und Westpreussischen Gymnasien, mit beige. fügten Bemerkungen über einzelne Gegenstände der Konferenz-Berathungen. Durch die Verfügung vom 1. Juni 1836 wurde eröffnet, dafs das Königl. Hohe Ministerium die Resultate der Konferenz beifällig aufgenommen, und eine neue Konferenz der Gymnasial-Direktoren der Provinz Preussen für das Jahr 1837 genehmigt hat.
8. Vom 7. April 1836. Aufforderung zur Einreichung eines Gutachtens über den Aufsatz des Medizinal-Raths Dr. Lorinser: „Zum Schutz der Gesundheit in den Schulen."
9. Vom 19. Mai 1836. Uebersendung eines Exemplars des Protokolls der Westphälischen Direktoren-Konferenz vom Jahre 1832.
10. Vom 1. Juni 1836. Bei Ausstellung von Abgangs-Zeugnissen für Schüler, welche sich dem Postfache widmen wollen, ist der Grad der Kenntnisse in den einzelnen Unterrichts-Gegenständen anzugeben.
11. Vom 23. Juli 1836. Mittheilung eines Verzeichnisses von Säugethieren und Vögeln, welche im zoologischen Museum zu Berlin verkauft werden sollen.
12. Vom 27. Juli 1836. Zur Vertheilung an die Königl. Sächsischen und Kurfürstlich Hessischen Gymnasien sind 19 Exemplare der Programme, also jetzt überhaupt 194 Exemplare einzureichen.

Das Fürstbischöflich Ermländische General-Officialat theilt unter dem 12. October 1835 und das Königl. Landraths-Amt Kreises Braunsberg unter dem 11. Novem- 1835 den Beschlufs des Königl. Hohen Staats-Ministeriums mit: „dafs junge Männer katholischer Konfession, die auf Gymnasien, Universitäten und in den Priester-Seminarien sich für den Priesterstand vorbereiten, bei der Heeres-Ersatz-Aushebung bis zum vollendeten 25. Lebensjahre zurückgestellt bleiben sollen; dafs aber solche, die mit Ablauf des 25. Lebensjahres die an den geistlichen Stand unwiderruflich bindende Subdiakonatsweihe noch nicht empfangen haben, sofort in die allgemeine Militairpflicht zurückfallen, und diese vollständig erfüllen müssen. Dieser Beschlufs wird vorerst 5 Jahre maafsgebend sein.

Empfohlen wurden: Plan, wie Peter Schmids Zeichenmethode in alle Schulen mit Erfolg und fast ohne Umstände einzuführen ist; Wiegmann's Archiv für Naturgeschichte; v. Leonhard Geologie oder Naturgeschichte der Erde, auf allgemein fafsliche Weise abgehandelt.

## III. Schulchronik.

1. Das laufende Schuljahr wurde am 21. September mit einem feierlichen Gottesdienste angefangen, nachdem die Tage vorher die Prüfungen der neu angemeldeten Schüler gehalten worden waren.

2. Am diesjährigen hohen Geburtsfeste Sr. Majestät des Königs wurde nach vorhergegangenem Gottesdienste eine Feierlichkeit in dem Saale des Rathhauses, welcher zu diesem Zwecke geneigtest bewilligt worden war, veranstaltet. Es wurde

dieselbe durch einen Gesang der Schüler eröffnet; hierauf hielt der Direktor die Festrede, in welcher er zeigte, was Ermland dem preuſsischen Staate zu verdanken habe; das Salvum fac Regem beschloſs die Feier.

Am Krönungstage der preuſsischen Monarchie nahm ein Theil der Schüler an der Aufführung einer ernsten Musik Theil, welche zum Besten der Armen veranstaltet worden war. Der Direktor hielt eine Rede über die Bedeutung dieses vaterländischen Festtages.

Am 10. März wurde das funfzigjährige Dienstjubiläum des Königl. Landraths und Landschafts-Direktors, Ritters etc. Herrn v. Schau, des verehrten Kurators unserer Anstalt, festlich begangen. Das Gymnasium bezeigte seine Theilnahme durch einen Morgengesang der Schüler und durch einige dem Feste gewidmete Gedichte.

3. Am 15. Juli verlieſs unsere Anstalt der zum Direktor des Progymnasiums in Röſsel berufene Religionslehrer, Herr Anton Ditki, welcher seit dem Anfange des Schuljahres $18^{25}/_{26}$ mit ausgezeichnetem und erfolgreichem Eifer am hiesigen Gymnasium gearbeitet hat. Es begleiteten ihn die aufrichtigsten Wünsche seiner Amtsgenossen und die Liebe und Achtung seiner Schüler. — An seine Stelle trat als Religionslehrer des Gymnasiums Herr Dr. Anton Eichhorn, welcher am 27. Juli in sein Amt eingeführt wurde, wobei der Direktor über die religiöse Bildung in Gymnasien sprach.

4. Durch den am 21. September 1835 erfolgten Tod des Domprobstes und General-Officials Herrn Dr. Martin Fotschki hat das Gymnasium einen hochverehrten Gönner verloren. Die sprechenden Beweise von Wohlwollen, welche er unserer Anstalt gegeben, sichern ihm in derselben ein dankbares und treues Andenken.

## IV. Statistische Uebersicht.

Am Ende des Schuljahres 1834—1835 betrug die Zahl der Schüler 333. Es sind abgegangen 89; neu aufgenommen 88, so daſs das Gymnasium gegenwärtig 332 Schüler zählt, in I. 29, in II. 76 (2. Abth.), in III. 77 (2 Abth.), in IV. 45, in V. 38, in VI. 67.

Am Anfange des Winter-Semesters betrug die Anzahl 370, am Anfange des Sommer-Semesters 350.

Unter dem Vorsitze des Königl. Regierungs- und Schulrathes Herrn Dieckmann wurden am 26. u. 28. März nachbenannte 10 Abiturienten unseres Gymnasiums geprüft, welche sämmtlich mit dem Zeugniſse der Reife entlassen wurden:

| Namen. *) | Geburtsort. | Aufenth. in I. Jahre. | Gewähltes Fakultäts-Studium. | Ort, wo sie studiren wollen. |
|---|---|---|---|---|
| *Robert Becker* | Königsberg | 4 | Jura | Königsberg |
| *Eduard Herrendörfer* | Königsberg | 1½ | zunächst Philos. | Königsberg |

*) Die Angaben nach dem Reglement vom 4. Juni 1834. §. 32.

| Namen. | Geburtsort. | Aufenthalt in I. | Gewähltes Fakultäts-Studium. | Ort, wo sie studiren wollen. |
|---|---|---|---|---|
| *Michael Krebs* | Röſsel | $2\frac{1}{2}$ | Theologie | Braunsberg |
| *Hermann Korsch* | Mohrungen | $2\frac{1}{2}$ | Jura | Königsberg |
| *Otto Kolberg* | Tolkemitt | $2\frac{1}{2}$ | Theologie | Braunsberg |
| *Julius Niederstetter* | Louisenhoff b. Brandenburg | $2\frac{1}{2}$ | Kameral-Wiss. | Königsberg |
| *Georg Siebrandt* | Pillau | 2 | Jura | Königsberg |
| *Richard Senger* | Marienwerd. | $2\frac{1}{4}$ | Medizin | Berlin |
| *Johann Thiel* | Peterswalde | $2\frac{1}{2}$ | Theologie | Braunsberg |
| *Hermann Wieler* | Elbing | $2\frac{1}{2}$ | Medizin | Königsberg |

6 Examinanden, welche nicht Schüler des Gymnasiums waren, und sich bei der hiesigen Kommission zur Maturitaets-Prüfung gemeldet hatten, traten während letzterer zurück.

Am 2. 4. u. 5. August wurden unter dem Vorsitze des Königl. Geheimen Regierungs-Rathes, Ritters Herrn Dr. Jachmann folgende 10 Abiturienten des Gymnasiums geprüft, welche mit dem Zeugniſse der Reife entlassen werden:

| Namen. | Geburtsort. | Aufenthalt in I. | Gewähltes Fakultäts-Studium. | Ort, wo sie studiren wollen. |
|---|---|---|---|---|
| *Leo Augusthat* | Schmolainen | 2 | Theologie | Breslau |
| *Alexander Besch* | Saalau bei Wehlau | 2 | Theologie | Königsberg |
| *Reinhold Giede* | Mewe | 2 | Theologie | Königsberg |
| *Aloys Grunenberg* | Alt-Wartenburg | 2 | Theologie | Braunsberg |
| *Michael Krüger* | Frauenburg | 2 | Theologie | Braunsberg |
| *Heinrich Moisziſstzig* | Braunsberg | 2 | Theologie | Braunsberg |
| *Heinrich Siegfried* | Carben | 2 | Kameral-Wiss. | Königsberg |
| *Alfons Graf Sierakowski* | Thorn | 2 | Diplomatik | zunächst Bresl. |
| *Eduard Steinke* | Braunsberg | 2 | Theologie | Königsberg |
| *Joseph Szotowski* | Bischofsburg | 2 | Theologie | Braunsberg |

Nach überstandener Prüfung erhielten 2 Examinanden, welche nicht das Gymnasium besucht hatten, das Zeugniſs der Reife: *Andreas Schrötter* aus Röſsel, welcher Theologie in Braunsberg, und *August Venediger*, welcher Kameralia in Königsberg studiren will.

---

Die Bibliothek erhielt durch die Gnade des Königl. Hohen Ministeriums folgende Geschenke: die Fortsetzung des Wörterbuchs der medizinischen Wissenschaften, und des Archivs für die Geschichtskunde des preuſsischen Staates; Berndt Schriftenkunde der Wappenwissenschaft, 3. Th. Suidas ed. Bernhardy I. 1. u. II. 1. Erman

Reise um die Erde I, 2. Rheinisches Museum für Philologie, Jahrg. III. Freytag arabisch-lateinisches Wörterbuch, Th. I. II. III. Gloger Handbuch der Naturgeschichte der Vögel Europa's, I. Denkmünzen zur Geschichte Sr. Majestät des Königs Friedrich Wilhelm III.; Wiebel Charte von Latium.

Für die Schüler-Bibliothek wurden von dem Königl. Provinzial-Schul-Kollegium 13 Exempl. der v. d. Oberlehrer Brillowski herausgegebenen altdeutschen Sprachproben übersandt.

## V. Ordnung der diesjährigen Prüfung.

Freitag den 12. August Vormittags 8—12.

| | | |
|---|---|---|
| Sexta. | 1. | Latein u. Deutsch. Hr. K. Kolberg. |
| | 2. | Rechnen. Derselbe. |
| Quinta. | 3. | Latein u. Deutsch. Hr. K. Januskowski. |
| | 4. | Natur- u. Erdkunde. Hr. Dr. Saage. |
| Quarta. | 5. | Latein. Hr. G. L. Braun. |
| | 6. | Griechisch. Hr. K. Januskowski. |
| | 7. | Deutsch. Hr. Dr. Saage. |
| Tertia. | 8. | Griechisch. Hr. G. L. Braun. |
| | 9. | Latein. (Ovid). Hr. Dr. Lilienthal. |
| | 10. | Mathematik. Derselbe. |

Nachmittags von 2—5.

| | | |
|---|---|---|
| Sekunda. | 11. | Latein. (Livius). Hr. O. L. Lingnau. |
| | 12. | Griechisch. (Xenoph.) Hr. Dr. Bumke. |
| | 13. | Physik. Hr. Dr. Lilienthal. |
| Prima. | 14. | Latein (Cicero). Hr. Prof. Biester. |
| | 15. | Mathematik. Hr. Dr. Kruge. |
| | 16. | Griechisch. (Sophocl.) Der Direktor. |
| | 17. | Geschichte. Derselbe. |

## Schluſsfeierlichkeit.

Sonnabend den 13. August Vormittags 9 Uhr.

1. Chor von Fr. Schneider.
2. Rede, gehalten von dem Abiturienten Augusthat.
3. Psalm von Schnabel.
4. Klassifikation der Schüler und Entlassung der Abiturienten durch den Direktor.
5. Abschiedsrede, gesprochen von dem Abiturienten Gr. Sierakowski.
6. Psalm von Berner.

Das neue Schuljahr beginnt mit dem 21. September. Zur Prüfung neu aufzunehmender Schüler ist der 19. und 20. September bestimmt.

Gerlach.

03849